

1305-1305- OFP - Acta Capitulorum Generalium Ianue Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.
 Acta capitulo generalis Ianue celebrati anno
 Domini · M° · CCC° · V°.

Confirmamus has constituciones. In capitulo de silencio, ubi dicitur: Prior tamen provincialis etc. deleatur totum usque ibi: Si quis autem etc. et dicatur sic: prior tamen provincialis absente magistro ordinis fratribus secum comedentibus, in sua dumtaxat provincia, possit dare licenciam loquendi, in alia autem provincia tantum uni. Et hec habet · iii · capitula.

Approbamus hanc. In capitulo de studentibus, ubi dicitur: seculares sciencias non addiscant, post illud: vel prior provincialis, addatur: vel capitulum provinciale. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc. In capitulo de solemni celebrazione capituli, ubi dicitur: necessitate vero urgente, magister ordinis etc. in fine addatur et dicatur sic: quod si in eadem provincia commode celebrari non valeat eodem anno capitulum generale, magister ordinis vel eius vices gerens, ipso mortuo vel amoto, dictum capitulum ad aliam provinciam mutare poterit, si expediens iudicaverit de consilio discretorum. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc. In capitulo de silencio, ubi dicitur: omnes fratres ubicumque intus et extra etc. post illud: et tunc ipse taceat, addatur: exceptis magistris in theologia. Prior tamen conventionalis possit licenciare unum de secum comedentibus ad loquendum. Si vero plures priores conventionales simul comedere contigerit, prior antiquioris conventus loquatur et uni loquendi licenciam dare possit. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc. In ordinario in rubrica de festo toto duplice, ubi dicitur: festum totum duplex fiat, post illud: que in kalendariis sunt notata, addatur: feria · va · infra octavas trinitatis fiat festum totum duplex de corpore Christi, sicut summus pontifex ordinavit. Quod si festum in translacione b. Dominici evenire contigerit, ad sequentem feriam transferatur. Et hec habet · ii · capitula.

Item. In ordinario in rubrica de turificatione, ubi dicitur: cum epdomadarius vel aliquis prelatus etc. post illud: cappa serica, addatur: excepto cum magister ordinis vel prior provincialis fuerit in choro; tunc enim ille, qui facit officium, ipsis deferens, ad sedem subprioris transeat in sinistrum. Et hec habet · ii · capitula.

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc, quod provincie Hyspanie et Aragonie reuniantur, et reunimus eas ita, quod sint una provincia et provincia Hyspanie nominetur et in dextro choro teneat primum locum.

Item hanc, quod provincia. Tholosana Provincie reuniatur, que vocetur provincia Provincie et teneat primum locum in choro sinistro.

Item hanc, quod provincie Theutonie et Saxonie reuniantur, et sint una provincia, que vocetur provincia Theutonie et in dextro choro teneat locum post provinciam Hispanie.

Item hanc, quod provincie Polonie et Boemie reuniantur et sint una provincia, que vocetur provincia Polonie et in dextro choro teneat locum post provinciam Theutonie.

Item, quod provincia Lombardie inferioris et superioris reuniantur et vocentur provincia Lombardie et in sinistro choro teneat locum post provinciam Provincie.

Item hanc. In capitulo de electione magistri, ubi dicitur: Parisiensis conventus provincialibus Hyspanie, Tholosane provincie, deleatur totum usque ibi: teneatur quam cicias intimare, et dicatur sic: Parisiensis conventus provincialibus Hyspanie, Provincie, Anglie, Theutonie, Dacie; Bononiensis vero Ungarie, Romane provincie, regni Sicilie, Polonie, Grecie, Terre sancte.

Item hanc. In eodem capitulo, ubi dicitur: provinciales igitur · xviii · provinciarum, deleatur · xviii · et dicatur · xiii ·

Item hanc. In eodem capitulo, ubi dicitur: qui inter alios · xviii · provinciales, deleatur · xviii · ei dicatur · xiii ·

Item hanc. In capitulo de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis, ubi dicitur: statuimus, quod in singulis annis et singulis capitulis provincialibus, deleatur totum quod sequitur usque ibi: · iii · fratres, et dicatur sic: Hyspanie, Provincie, Francie, Lombardie, Romane provincie, regni Sicilie, Ungarie, Theutonie, Anglie, Grecie, Polonie, Dacie, Ierosolymitane provincie.

Item hanc. In eodem capitulo, ubi dicitur: dictarum · xviii · provinciarum, deleatur · xviii · et dicatur · xiii · Item hanc. In capitulo de studentibus, ubi dicitur: tres fratres tantum mittantur Parisiis de provincia ad studendum etc. deleatur usque ibi: quelibet autem provincia.

Item hanc. In eodem capitulo, ubi dicitur: quilibet autem prior provincialis potestatem habeat mittendi ad studium duos fratres, deleatur, quod sequitur usque ibi: quod si in aliqua dictarum provinciarum.

Item hanc. In capitulo de capitulo generali, ubi dicitur: predicti autem · xviii · diffinidores, deleatur · xviii · et dicatur · xiii ·

Item. Ibidem ubi dicitur: · xviii · provinciales, deleatur · xviii · et dicatur · xiii ·

Item. Inchoamus hanc, quod quecumque constitucio inveniatur repugnans constitutionibus inchoatis de reunione provinciarum totaliter destruatur.

Item hanc. In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: vices prioris provincialis in omnibus obtineat, addatur: idem dicimus, si generale capitulum contingat ad aliam provinciam transferri, videlicet quod auctoritas vicarie ad provinciam illius provincie cum capitulo transferatur.

Item hanc. In capitulo de electione magistri, ubi dicitur: statuimus, ut si ante festum sancti Michaelis, addatur: vel in ipso festo.

Item. In eodem capitulo, ubi dicitur: si autem post dictum festum etc. deleatur totum usque ibi: mortuo igitur magistro etc. et dicatur sic: Si autem inter festum sancti Michaelis et resurrectionis magister decesserit vel ipsum amoveri contigerit, ipsius obitus nichilominus vel amocio nuncietur, ut supersedeatur illo anno a capitulo generali. Si autem in ipso festo resurrectionis vel post usque ad terciam feriam post festum trinitatis exclusive magistrum mori vel amoveri contigerit, nichilominus in illo anno per diffinitores vel per provinciales in anno provincialium capitulum celebretur cum vicario ordinis, si sit presens; si autem vicarium in aliquo casu abesse contigerit, unus de ipsis diffinitoribus capituli ab aliis diffinitoribus vel a maiori parte eorum in magistri vicarium assumatur, qui vices eius obtineat secundum formam, que infra in capitulo de generali capitulo est expressa.

Item. In ordinario in rubrica de concomitancia festivitatum, ubi dicitur: quando autem unum festum simplex post aliud festum simplex evenerit, post illud: memoria fiat de primo festo, addatur: preterquam in octavis beati Dominici, que habeant vesperas suas integras, et de sequenti festo memoria tantum fiat.

Item hanc, quod fiat festum duplex de sancto Vincencio.

Item hanc, quod fiat festum trium lectionum de sancto Alexio · xvi · kalendas augusti, et magister curet de officio providere.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Ordinamus et districte iniungimus, quod socii provincialium et diffinitorum pro tempore portent acta capituli generalis ad suas provincias integra, et socii priorum conventionalium deferant ad suos conventus tam acta capituli generalis quam provincialis integra sub pena, qua in precedenti capitulo extitit ordinatum, imponentes prioribus vel eorum vicariis, quod ipsa faciant in suis conventibus quater in anno legi¹.

Item. Cum ordinacio precedentis generalis capituli circa studentes generalium studiorum de dandis vestibus a multis male fuerit observata, districte iniungimus prioribus provincialibus et eorum vicariis universis, quod cuilibet studenti misso extra provinciam ad generale studium, provideant pro vestibus duos florenos cuilibet eorum singulis annis transmittendo. Ut autem transgressores ordinacionis huius puniri possint condigne, volumus, quod studentes, quibus iuxta huiusmodi ordinacionem provisum non fuerit, magistro denuncient ad tardius ad sequens capitulum generale².

Item. Districte iniungimus prioribus universis ac eorum vicariis, ut fratribus indigentibus de vestibus provideant, secundum quod in precedenti capitulo fuerat ordinatum. Et super hoc priores provinciales et visitatores diligenter inquirant; et si priores vel eorum vicarii inventi fuerint negligentes, per capitulum provinciale absolvantur in penam; et nichilominus eos presenti ordinacione eligibilitate illo anno privamus. Sub eadem distinctione et pena iniungentes prioribus eisdem ac vicariis, quod infirmis provideant de servitoribus et necessariis secundum suarum infirmitatum exigenciam et conventuum facultatem³. Item. Volumus et ordinamus, quod diffinitorum provincialis capituli scrutinia priorum conventionalium nemini valeant revelare.

Item. Ordinamus, quod quandcumque fratres processionaliter vadunt ad salve Regina apertis ianuis capis induiti incedant propter ordinis honestatem. Idem fiat in aliis processionibus quibuscunque; in missis quoque conventionalibus idem volumus observari.

Item. Cum circa studia et studentes cura et cautela sit diligens adhibenda, ordinamus, quod nullus ad legendum logicalia mittatur, nisi prius audierit logicam novam duobus annis, naturalia vero duobus, et per lectorem principalem et lectorem naturalium fuerit approbatus. Ad legendum vero naturalia nullus mittatur, nisi legerit sentencias, ubi commode poterit observari, vel saltem sentencias duobus annis audierit, et in questionum responsionibus et obiectionibus testimonio principalis lectoris, cursoris, ubi cursor fuerit, et magistri studencium ad hoc fuerit iudicatus sufficiens; nullus exponatur ad legendum ordinarie, nisi prius in aliquo particulari studio sentencias audierit duobus annis, et duobus ad minus in aliquo studio generali, si in provincia sua fuerit, et sic ad legendum ordinarie exponatur, si supradicto modo fuerit approbatus.

Item. Ordinamus, quod nullus rediens de aliquo studio generali, Parisiensi dumtaxat excepto, illo anno ponatur lector principalis, nisi prius reponatur per annum in studio generali, si in sua provincia fuerit, ut ex hoc de studencium profectu cercior noticia possit haberi, et per eos magis studium sue provincie vigorari.

In studiis vero sentenciarum nullus principalis lector ponatur, nisi de studio Parisiensi redierit, vel lectionem principalem, vel sentencias in provincia sua laudabiliter legerit. Et quia premissa non possunt sine studio arcium observari, volumus et ordinamus, quod omnes provincie ad providendum de naturarum studiis teneantur.

Item. Ordinamus de mittendis ad studia: primo quod nullus ad studium logicale mittatur, nisi saltem in ordine bene et religiose duobus annis fuerit conversatus vel alias in seculo fuerit etate provectus et in logicalibus instructus. Ad naturarum vero studium nullus mittatur, nisi logicalia in ordine vel in seculo ad minus tribus annis audierit et in eis testimonio lectoris et magistri fuerit sufficienter instructus. Ad sentencias vero audiendas non mittantur, nisi per duos annos ad minus naturas audierint. In studiis autem naturalibus et logicalibus repetantur diebus singulis lectiones et ipsas singulis septimanis studentes magistro suo reddere teneantur, et eorum magister sit ad audiendum obligatus. Nullus autem mittatur ad studium generale sive in sua provincia sive extra, nisi ordine premisso in logicalibus et naturalibus sufficienter profecerit et saltem duobus annis in aliquo particulari studio sentencias audierit, et testimonio lectoris et cursoris et magistri studencium de eo spes multum probabilis habeatur, quod ad lectoris officium ydoneus sit futurus. In ipsis vero studiis generalibus, magister studencium semel ad partem, nisi legitimum impedimentum occurrat, disputet omni septimana per totum annum. Ipsi autem principales lectores saltem usque ad festum sancti Iohannis suum continuare studium teneantur. Communes autem fratres singulis diebus ad scolas veniant et ibi lectiones audiant, alias illa die a vino vel a pitancia sine dispensacione abstineant, si eos sine causa rationabili et licencia speciali prioris vel eius vicarii deesse contingat. Piores autem, qui has penas non fecerint observari, ad easdem faciendas obligentur, aliter visitatorum testimonio in capitulo provinciali contra eos acriter procedatur. Studentes insuper, qui in actibus scolasticis inventi fuerint notabiliter negligentes seu insufficientes per priorem provincialem a studiis absolvantur et in aliis officiis occupentur.

Volumus autem et ordinamus, quod in uno conventu non sit nisi unus lector principalis, et in locis, ubi duo lectores consueverunt poni, cursor sentenciarum loco alterius assignetur. Et ut hec omnia firmiter observentur, volumus et iniungimus, quod visitatores singulis annis teneantur de hiis, qui ad legendum logicalia, naturas et sentencias, et ad mittendum ad studia generalia apti fuerint, diligenter inquirere et lectores, a quibus audierint, necnon et magistri studencium ab eis in eorum conscientiis requisiti teneantur fidele testimonium perhibere. Piores autem provinciales eadem districione teneantur, secundum testimonia sic recepta de studiis et studentibus fideliter providere.

Item. Volumus et ordinamus, quod ad studia generalia assignata provinciis Ungarie, Polonie, Boemie studens aliquis extraneus non mittatur, donec per magistrum ordinis et generale capitulum aliter fuerit ordinatum.

Volumus autem et ordinamus, quod studentes in naturalibus et logicalibus non teneantur ire ad scolas principalis lectoris, nisi quando disputat.

Iste sunt penitencie.

Absolvimus hos piores: fratrem Marusinum priorem Brixensem, fr. Bertholinum priorem Papiensem et fr. Fortunum priorem Novariensem; et hoc in penam, quia non dederunt isto anno vestes fratribus indigentibus secundum ordinacionem precedentis capituli generalis¹.

Denunciamus omnes fratres, qui sine licencia ad presens generale capitulum venerunt, ex ordinacione precedentis immediate generalis capituli per biennium omni voce privatos; quam ordinacionem volumus et sequenti anno observari.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus piores provinciales Lombardie superioris et Polonie.

Item conventuales Mediolanensem, Tredonensem etc.

Volumus autem, quod piores hoc anno absoluti in eisdem conventibus vel provinciis ad eadem officia resumi non possint.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre ac domino summo pontifice et bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos · vi · missas et quilibet conventus unam de beata virgine.

Pro venerabilibus cardinalibus domino Nicholao Ostiensi et Velletriensi episcopo¹ et domino Galtero, fratribus nostris, quilibet sacerdos · iv · missas etc.¹.

Summa pro vivis · lx ·

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro sanctissimo patre domino Benedicto summo pontifice quilibet sacerdos · vi · missas et quilibet conventus totum officium mortuorum et missam solemniter in conventu etc. [Obiit Benedictus XI Perusii 1304 iul. 7].

Summa missarum pro defunctis · xviii · et quilibet conventus · iii ·

Letania in · xla · et in vigiliis ab ecclesia institutis intus et extra ab omnibus fratribus dicatur; et fiat memoria de b. virgine in vesperis et matutinis, sicut in capitulo Bisuntino extitit ordinatum². Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum etc.

¹ Fr. Gualterus Winterburn, Saresberiensis, familiaris regis Angliae prom. 19 febr. 1304; † Ianue 1305 sept. 24, sepultus Londini. EUBEL I.c.p. 13.

Sentencias iudicium approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus Parisius in provincia Francie ordinantes, quod diffinitores ad locum capituli veniant dominica infra octavas ascensionis domini.

Nullus autem alius, et si licenciam habeat, locum capituli intret ante · viam · feriam vigiliam pentecostes precedentem.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LVII.